



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Nullum Fortunæ, aut Fati auxilium adiungi posse Deo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

CAPVT XXIV.

Quid non sit, aut quid sit FORTUNA, CASVS,  
FATVM? & in his omnibus Deum domi-  
nari.

**P**recipuus ferè error est mortalium, vt credant, *Fortunam*, aut *Fatum*, in casibus humanis, domina-  
ri: quorum vno Prouidentiam è medio tollunt, al-  
tero necessitatem ipsi Deo imponunt; & vtroque  
efficiunt, vt Deus non esse Deus videatur. Si enim  
Deo necesse est Deam adiungere, quæ *Fortuna* vocetur, atque  
hunc Mundum regat; conficitur, Deum non sufficere, ad hunc  
Mundum gubernandum. At qualis ille esset Deus? quàm parum  
omnipotens? quàmque inops, si *Fortuna* ope auxiliòque indige-  
ret? Quod etiam consequens est, si vlla *Fati* necessitate vrgeatur.  
Siquidem nulla est omnipotentia, vbi necessitas manum iniicit,  
aliquid facere cupienti. Quin neque illi ipsi rectè sunt ratiocina-  
ti, qui, cum omnia assererent fortuitò contingere, *Fortunam* esse  
Deam crediderunt. Si enim Dea illa aliquid fieri voluit, ergo id,  
non *fortuito casu*, sed Deæ consilio ac voluntate euènit, aut si for-  
tuitò euenit, ergo id Dea nulla voluit euenire. Qua de caussa Epi-  
curus, teste Nicephoro, nullos Deos asseruit, omniaq; fortuitò, & sua  
sponte existere sensit, & Mundum, nulla prouidentia regi, aperte docuit.  
Quid necesse est prouidere, si omnia quãdam *Fati* necessitate fiunt?  
quid consulto opus est, si omnia fortuitò contingunt?

Et tamen fuère, qui ita stultescerent? Apud Poëtas, *For-  
tuna* gubernans, *caca, fatalis, omnipotens* vocatur. Poëtas secuti sunt  
oratores. Tullius scribit: *Magnam esse vim, in Fortuna, in vtramq;  
partem, vel ad secundas res, vel ad aduersas, quis ignorat?* Idem ali-  
bi, *dominam rerum Fortunam* appellat. Iam si de Philosophis sit  
sermo, *Fortunam insanam esse & cecam, & brutam* perhibent Philoso-  
phi, ait author ad Herennium, *saxòq; instare globo* prædicant volu-  
bili. Ex Niceta constat, *Fortune* imaginem, apud quosdam, no-  
uaculæ impositam, vel globo, ad prosperæ *Fortune* periculum &  
instabilitatem designandam: quod habet etiam Dio Chrysof-  
tus. Apud alios, erat gubernaculum nauis insertum manibus  
eius,

I.

Nicephor.  
lib. 10. hist.  
Eccles. c. 26.

II.

Lucret. l. 5.  
Cic. l. 2. Of-  
fic.  
Cicer. pro  
Marcello.  
Author ad  
Heren.  
Nicet. 4.  
thesaur. in  
appendic. 1.  
ad heres. 42.  
Dio Chryf.  
orat. 64.